



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia  
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,  
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

**Canisius, Heinrich**

**Coloniae Agrippinae, 1662**

In Cap. Sicut consuetudo 2.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

textus in l. Digna vox 4. C. De legib. Non obstat d. l. Princeps, nam verum quidem est, Principem solum esse legibus, si potestatem vel auctoritatem ejus per se spectes: at subjectum esse eum legibus hoc fit ex submissione sua, quâ sponte se subiecit legibus, sicut constat ex d. l. Digna vox, junctâ l. Est receptum 14. D. De jurisdic. Et facit text. in l. fin. C. De quadriennii præscript. ubi Justinianus actionem,

quæ alioquæ est juris civilis, concedit adversus res Principis. Nec distat actio illa inter vim coactivam & directivam in Principe locum habet, cum ne quidem in iis, quæ juris naturalis sunt, cogi possit à superiore, quem non habet; nisi velimus recurrere ad summum Pont. per hunc text. nost. Et quæ ibid. laud. tractant Dd.

## In Cap. Sicut consuetudo 2.

## SUMMARI A.

1. Consuetudo non valet auctorem ultra probationem gravari: juramento
2. Vt neque statutum valet hac in re.
3. Auctore probante vel deficiente in probatione, reus vel condemnandus vel absolvendus.

**H**OC textu singulariter reprobat consuetudo loci, quâ actor probatâ intentione suâ nihilominus tenetur eam confirmare juramento suo, alioqui nulla fides probationi habetur; reprobat, inquam, hujusmodi consuetudo veluti irrationabilis, cum sine causa juramentum requiratur post impletam probationem, & sine causa præstari juramentum non debeat, c. Etsi Christus 26. inf. de jurejur.

2. Quare Bald. hic n. 2. idem retinendum censet in statuto municipali, ut nec statutum valeat hac

in re, cum utrumque consuetudo & statutum rationi confossum esse debeat, c. 1. De consuet. lib. 6.

Ut igitur reus, probatâ intentione auctoris, condemnatur, nisi exceptionem, si quam è contrâ habet, probet, l. 1. C. De probat. ita è diverso, auctore deficiente in probatione, reus absolvitur, etiam à se non præstato juramento, c. fin. §. sanè inf. De jurejur. Et l. Qui accusare C. De eden. Dixi, post impletam probationem; secus, si semiplenè probaverit actor intentionem suam, puta per unum testem, aut aliàs præsumptionem habeat pro se, quæ tamen non sit sufficiens, de qua inf. Tit. de præsumptionib. His enim casibus ad juramentum, quod suppletorium Dd. vocant, licitè recurritur ab auctore vel à reo præstandum, prout judex ex personarum & causæ circumstantiis æstimaverit, text. hic in fine, junctâ d. §. sanè, ubi fufius, favente Deo.

## In Cap. Proposuisti 4.

## SUMMARI A.

1. Facti species proponitur.
2. In probanda aut neganda copula conjugali cujus juramento fitur, viri an mulieris.
3. Inspectio corporis an licita.
4. Iudex in judicando quando peritos artis consulere debeat.
5. Artis periti quot consulendi.
6. Vbi numerus non exprimitur regulariter duo sufficiunt.
7. Iudicium unius quando sufficiat.
8. An & in rebus arduis, veluti utrum vulnus letale sit.
9. Periti in arte an debeant esse jurati.
10. Sententia ex peritorum judicio lata an retractari possit ex iudicio magis peritorum.

**F**ACTI species hæc proponitur. Inter Titiam & Sempronium divortii quæstio agitabatur, coram iudice à Sede Apostolica dele-

gato. Titia juratò adferebat, se cognosci non posse à Sempronio, id quæ & testimoniò: o septem mulierum, quæ eam inspexerant, & incorruptam invenerant, confirmabat: Sempronio vero è contrâ jurante, quòd eam cognovisset: de qua controversia consultus Pont. utri fides magis adhibenda sit, referibit hoc. n. Titia potius, propter juramentum suum, & septem mulierum testimonium. Agitur proinde hic ad divortium, id est separationem matrimonii, propter nimiam obstructionem mulieris, de qua in c. 3. Et c. 6. inf. de frig. & malefic.

Sed quoad hunc textum, quòd major fides tribuenda sit Titia, quàm Sempronio, huic ob stare videntur, c. Continebatur 6. inf. De depons. impub. Et can. penult. xxxi. g. 1. ubi in probanda copula, id est commistione corporum, statur juramento viri, non mulieris, eo quòd, ait textus, vir sit caput